instar pretorii ipsi sibi fecerant, et ubi insimul convenire et de suo artificio pannos et mercatus reponere et iura sua inter se sibi reddere et dictare consueverant, dicti consules funditus destruxerunt et in ruinam penitus detraxerunt, universos ad hoc populares, qui cum dictis laneficiis et textoribus fraternitatis seu societatis iura contraxerant[o], multa pecuniaria et penis ~~et p~~ diversimodis punientes, et in plebeios civitatis tam culpabiles quam innocentes indifferenter universos crudelitate tyrannica nimium sevientes.

Sub horum[p] decursu temporum anno videlicet domini 1374 mensibus videlicet Januario et Februario factum est diluvium aquarum in diversis terrarum regionibus maximum et stupendum, et exundavit adeo fortiter fluvius Renus, quod, sicut estimari poterat ab iudicio certo intuencium, aquarum eiusdem fluvii excrescens ascendit ultra solitum et usitatum ipsius alveum ad mensuram 34 pedum et ultra sursum in directum. Civitatem namque Coloniensem super ripam eiusdem Reni positam aque eiusdem preterfluentis fluvii sic occupaverant, quod homines infra civitatem in multis eiusdem locis navigio ferebantur, et nedum ad illam civitatis partem, ubi Renus transit, quin etiam ad illam partem, que respicit campestria, aque ipsius forti cum impetu defluxerunt, occupantes et replentes ad summum fossata civitatis et per rimulas atque scissuras, per cuniculos et tumulos terre, super

o) contraxerunt cod. p) hiems cod.